

1339

I C O D I C E S U

1340

cuit esse *κεφαλαιος*. Initium in III. *Quia magister loquitur a principio tertij usque ad distinctionem 13. &c.* Subscriptio: *Finis questionum tertij sententiarum magistri Henrici de Hassia, et hoc Anno M^o. CCCC^o. X^o. in uigilia vigilie natiuitatis christi hora 12^a.* Initium in IV. *Utrum consecratione eukaristie sub speciebus panis et vini fiat realiter corpus christi &c.* Subscriptio: *Expliciunt questiones 4ⁱ sententiarum magistri Henrici de Hassia similiter et 2ⁱ et 3ⁱⁱ sententiarum eiusdem cum difficultate et labore magno recollecte et conscripte per magistrum michabelem Suchenschacz arcium et theologie magistrum ex suo primario concepto. Anno domini 14011. (dele o) in octaua sancti Stephani seu 2^a die Januarij. Accedit Positio una: Utrum sit de ratione cause create necessario in productione presentiam materie presupponere. Merebatur certe solida Plantatoris Gymnasi Vien. doctrina industriam Nostri, qui biennio ante Henrici mortem jam Philosophiae Decanum egerat. Dixi de Eo alibi ad proprios Partus.*

III. fol. 241. Prolusiones V. Academicae habitae ab eodem Mich. Suchenschatz S. Script. et Theol. Prof. dum *Licentiam* pro Cancellario impertiretur et 1) quidem 13. Febr. 1411. in Artibus *Johanni Hymel de Weyts, Henr. de Hammelburg, et Alb. de*

Dinckelspübel. 2) 20. Febr. in Medicina *Theodorico Caryn de Glancz.* 3) 1. Apr. in eadem *Johanni Cesar de Vngaria.* 4) 13. Mart. 1413. in Artibus *Urbano de Mellico, Job. Gartner de Berchingen, Wilb. de Weissenborn, Petro de Herenberg, Petro Scheyr, Thomae Lurczler de s. Yppolito et Thomae de Claussenburg.* 5) die *Vitalis Mart.* in Theologia *F. Johanni de Brisaco O. S. Dom.* quorum quidam deinceps in Academia claruere. Haec omnia Vir industrius manu propria adnotavit, et Promotioni primae addidit: *Eodem die obtinui domum Domini thome canonici prebendati quondam ad sanctum stephanum in Wyna, cui et nobis omnibus dominus deus sit propicius. Amen. E* quo quis inferat, Professores Academicos titulo canonicorum *D. Stephani* insignes non omnes praebendatos fuisse.

DXCIV.

Codex chartaceus ital. Sec. XVI. Folior. 77. 4. per duas columnas nitidissime exaratus, rubricis et Schematibus aliquot mathematicis speciosus, oblatuque Bibliothecae a *Thoma M. Alfano* Ord. Praed. anno 1721. est *Dialogus Theologicophysicus inter Magistrum et Discipulum*, cujus materiam dabo ipsis Autoris fol. 62. p. 2. verbis:

Quid-

*Quidquid habet Celum: quicquid complectitur orbe
 Claudit in angustum paruulus iste Liber.
 Vnde refert fulgur, ventus, ros atque pruina,
 Vnde procellosis corruat imber aquis.
 Vnde soli motus referat, cur terra metallis
 Turgeat, arboribus, fontibus ac varijs.
 Mille etiam causas potes hic dignoscere rerum.
 Perlege iam Lector pace benigne fruens &c.*

Autor Bernardus Albigaunensis (d' Albenga) Monachus Benedictinus diuiferat Opus in 1230. breues *Articulos*, e quibus 8. priores periisse disco ex *Indice fol. 62. p. 2.* qui Scripti Titulum, Praefationem, praecipuos *Autores*, e quibus sua hauserat *Bernardus* &c. continebant. Incidit postea Codex in manus cuiusdam *F. Herculani Mandoli Perusini O. Erem. S. Aug.* qui 8. illos *Articulos* praevios aut abolere, aut subplere cupiens alios substituit, inter quos *Epistola* dedicatoria ad *Generalem* sui *Ordinis Christophorum de Padua* virum celebrem, qui ab an. 1564. ad a. 1569. praefuit, et *Capitulum I.* in quo veluti correcturus *Bernardum* pro *Magistro* et *Discipulo* fat infeliciter, ut omnia, *Patrem* et *Filium* induxit. Nec defuit tamen *Bernardi Capitulum I.* quod sic incipit: *O preclarissimo et perdulcissimo mio Magistro, humillime te prego, che a quello io te domandero, me respondi, ad honore de Dio, et ad mia*

et de tutti Legenti eruditione et consolatione. Respondet *Magister: Per fare cosa che a ti, et ad ciascuno sia grata, uolentera obtemperero a toe honestissime domande, quanto Dio immortale me concedera soa gratia et fortitudine, ni me pregrauera questa fatiga.* Atque ita ingrediuntur sermonem de *Natura divina, angelica et Opere creationis primae diei. Caput II. III. IV. V. VI.* expendit reliquas dies. *VII.* examinat situm et ordinem *Elementorum et Sphaerarum coelestium. VIII.* originem *Roris, Pruinae, Grandinis &c. IX.* et ultimum *Longitudinem, Latitudinem, Climata, et Distantiam Locorum.* Quae omnia adnexis sub finem *Schematibus tabellaribus magna cura confectis illustrantur. Schemata haec antecedit Conclusio ad Reuerendissimos Patres Ceruarienses, quibus Opus suum dicat, et quos sui memores esse iubet D. B. albigaunensis.* Hos iterum post *Indicem Distichis 11.* adloquitur:

*Ceruarii quos templa tenent probitate uerendos
 Hieronymi titulo, te Benedicte duce &c.
 Hec ego Bernardus scripsi, quem sanguis alumne
 Albinge genuit, sed Benedictus habet.*

1343

CODICES

1344

Et continuo: *Finis: in Cenobiolo*
Diue Marie Magdalene apud
Montem rubrum a Genu Ligurie
regionis Vrbe primaria distante
Millibus quinquaginta. Anno Do-
mini nostri Jesu christi 1507.
Quarto Nonas Septembr. Nec ta-
tamen finis; sequitur enim continua-
to Articulorum numero Commen-
tatio nova in E ξ mp ν regov vocatis in
auxilium praeter antiquiores Pa-
tres Nicolao de Lira et Magistro

Sentent. Item Gratiarum A ξ iones
Deo super opere Creationis per
singulos Dies hebdomade latino
 sermone, quo magis valuisse vi-
 detur Coenobita noster, quam pa-
 trio. Scriptores ejus populares X-
 VII. *Albingaunenses sinit Aug. Ol-*
doimus in Athen. suo Ligustico p.
573. Nulla tamen de Bernardo
 mentio, quem apud plures alios
 etiam incassum persecutus sum.



CODI-